



Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 7. Fur, quod alteri conabatur clepere, clepsit sibi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](#)

¶ Cap. IV. Pœna talionis,

prostet, imaginem pariter atque ignominia
suam iam quatuordecim Philippæis lubens
volensq; redimit. Ita quam superbiam au-
aritiamque in imagine exercuit, in imagine
luit; pictorq; Iæsus iniuriam ex æquo pen-
sauit.

§. VII.

sibi *Fur, quod alteri conabatur clepere, clepsit*
sibi.

Diuinæ quoque prouidentiæ iste stilus est,
ut per inexpectatos casus fraus in fraudan-
tem retorqueatur. Duo feruntur vicini
fuisse, quibus vnum erat granarium, in quo
conuectas fruges reconderent, sed non vna
indoles. Vnus enim erat iusticiæ, alter
pecuniæ amans. Hunc igitur auarum subiit
aliquando cupiditas rapiendi frumenti,
quod ad justum pertinebat, & sanè modi-
cum erat; quemadmodum neq; auari acer-
uus admodum magnus. Ne ergo, per no-
cturnas tenebras, error contingeret, ac sor-
didus ille, ipse sibi, quod suum erat, raperet,
lucente adhuc sole, clam in granarium irrep-
sit, suumque pallium vicini frugibus super-
iniecit, eo indicio, noctu, frumentum alien-
num deprehensurus. Ita fecit, & abiit. In-
terea tamen & alter voluit, ante diem abe-
nitem,

untem, visitare frumentum suum. Ingressus
igitur ad suam cumeram, reperit eam vici-
ni pallio diligenter contectam. Miratus
est initio: sed mox, quia pluuium erat cæ-
lum, charitate id vicini factum est interpre-
tatus, ut qui voluerit, neglecta sua propria-
parte, socij frumentum contra imbræ tue-
ri. Ut ergo amor amorem, & benevolentia
benevolentiam parit, beneficium voluit be-
neficio compensare. Et, hem, inquit, ita
vicinus meus meis rebus cauet? ita pro-
spicit? ita ab ijs arcet pluuiam per tegulas
stillantem? Non patiar hoc fieri, non si-
nam me beneficentia superari. reddam
amoris vices. dixit, & cum dicto pallium ar-
ripuit, atque à suo aceruo ad vicini cumu-
lum transtulit, ut eum contra cæli injurias
tegeret. Quod ubi fecit, abiit. Abiit etiam
paulò post dies, & nocte cælo inducta, ae
tenebris sese intendentibus, tenebrio adesse
commodam cogitationibus suis horam ra-
tus, ad granarium curiosè obseratum ac-
cessit, illudque clavi Laconica furtim rese-
rauit. Ad locum prædæ postquam venit,
tenebris imaginationem perturbansibus,
oculorum vice, manibus palpare cœpit, do-
nec ad pallij sui indicinam perueniret. Ni-
hil

62 Cap. IV. Pœna talionis, per Poëtas, &c.

hil ergo ambigens, se vicini frumentum te-
nere, saccum repleuit, & secum asportauit
pallio tectum. Quam vere dixit Seneca:

Senec. ep.
75. ad Lu-
cilius.

Nulli, etiam cui rapina cessit feliciter, gaudium
recte duravit in posterum. Nam noctis læti-
tia, diei facta est tristitia. Lux enim ortu-
ostendit, Harpalum hunc, cassò labore, non
quæ vicini erant, sed sua rapuisse. Ita qui-
dem diuina prouidentia voluit, ut sibi ipsi
faceret, quod facere alteri cogitârat. Quod
audiuimus etiam maligni dæmonis arte ali-
quando factum, cum magicæ peritus alteri
cultrum in manum præbens, simul & digi-
tum suum, jussit eum audacter secare. Qui
postquam secare pariter & dolorem sentire
cœpit, intellexit, se non digitum magi, sed
suum nasum tenere; &, si perrexisset, non
alteri, sed sibi vulnus inflicturum fuisse.

Voluit enim illi versipellis artifex nasum
facere dum eum denasa-
ret.



CAPVT